

Cl. III. B. 4. Nr.

241. B. 13. R. 2.

153924

Cl. III. B. 1. Nr.

02.

030051761

241. P. f. 13. R. 2.

**T H E S E S**  
**THEOLOGICÆ**  
*DE*  
**FIDE, SPE, ET**  
**CHARITATE,**  
*EX*

Doctore Mariano, & Subtili  
**JOANNE DUNS SCOTO**  
**DEPROMPTÆ,**

*In Annua Publica Disputatione defensæ,*  
â

PP. LEANDRO GOBBI, & GORGONIO  
COGOI, Ord. Min. S. P. Francisci Reformatorum  
Provinciæ Croatiae Carnioliae Alumnis, & Studentibus generalibus.

*PRÆSIDE*

**R. P. JACOBO HOFFSTETTER**  
Ejusdem Ordinis, & Provinciæ Sacrorum Canonum,  
ac SS. Theologiæ Lectore Generali, & Diffinitore actuali

*Anno â partu Virginis M. DCC. XV. Mense. Die*  
*horis post meridiem consuetis.*

In Sacra, antiqua, & Provinciæ Principe Æde  
Labacensi Gloriosissimæ DEI Matris MARIÆ in Cœlos assumptæ  
Fratrum Min. Reformatorum.

153924

In accessæ  
Lucis Faci  
Serenissimæ,  
Divinitatis Lampadi  
Clarissimæ,  
Perspicuo Divini Radij,  
& Splendoris Speculo,  
Divo

153924

ARCHANGELO  
MICHAELI

Sanctæ, & Apostolicæ Fidei  
Illuminatori,

Universalis Romanæ Ecclesiæ  
Protectori.

**N**on solam lucem nobilitatis indicem te-  
statur experientia, & obscuritas nobili-  
tat, parilitas Parietariæ stat in testimo-  
nium: quinimo illustriori emicat ob-  
rizô Cælum, dum respersa fuligine He-  
sperugo umbrarum peplô faciem obuelat Cyntbio; Si-  
derum respública occiduo suo principi parentat ju-  
cum.

N 882/1971



cundius, quando p̄cæbi regia luctum induit, & firuæ  
tenebrarum reginæ cedit in solium; fulgidiori dies  
inuebitur esedò, quod ater noctis æthiops in umbra-  
rum lipara fabricavit. Nimirum: lux à tenebris,  
radius ab umbris, à nocte dies propullulat: tolle um-  
bras, & non modo centoculum Stellatæ arcis pavonem  
exoculâsti; verum etiam limpidiſſimo dierum bajulo,  
tersiſſimo mundi oculo, cui videre videri est, caligi-  
nem offudisti. Quin sol ipse Diviniſſimus, lumen de  
lumine obscuritate clareſcere voluit, quando obum-  
brante Divino Spiritu Virgineam ingreſſus umbram,  
in Virgine tam diu delituit, donec Humanitatis velò  
investitus, obscuro in ortu illuceſceret orbi, novùmque  
solis diem inveberet universo. O umbræ, lucis aureæ  
præcones illuſtriſſimi! Sed umbras loquor: luce opus  
est, obscurum ab umbris in fide Theologica pateſcat  
mysterium. Quid est fides? Crede re quod non vides,  
hæc laus fidei; si quod creditur, non videtur. Ita Af-  
ricæ lumen, ingeniorum sol, Magnus Aurelius. Quæ  
umbræ? at at: luci non officit umbra: Fides ut ut  
obscura, serenissimis tamen gloriatur natalibus, dum  
ab ipſo Increati luminis Parente deducit originem: ſit  
ſua cæterarum virtutum intellectualium gynæceo ve-  
nuſtas, fidei Divinæ decus obscuritas; tanta ſiquidem  
umbroſa in fide amoris concervantur illicia, ut, teſte  
Apoſtolo, ſine ipſa impoſſibile ſit placere DEO, quæ  
faſſi neſcia attingit in acceſſa, deprehendit ignota, com-

prehendit immensa, apprehendit novissima transcendit  
fines rationis humanæ, terminos experientiæ, ac usum  
naturæ: de hac igitur principe Theologicarû charitum  
Pulcheria, uti & spe, ac Charitate Thebes Tuum Di-  
ve Archangele Michaël quâque par est, reverentia de-  
poscunt patrocinium: Illustra intellectum, ne inter  
pulcherrimas Fidei umbras, Spei arduitates, & viat-  
rices amores sine lumine cum dedecore oberret in tene-  
bris.

Ità vovet.

*Æternùm Devotum*

Studium Theologicum Generale  
Labacense.

S. I. De

§. I.

*De Fide secundum se, ejusque objecto.*

1. **F**ides à D. Paulo ad Hæb. 11. definita, est *spe-  
randarum substantia rerum argumentum  
non apparentium*, pro objecto materiali  
incomplexo, adæquato, seu attributionis habet  
DEUM, pro formali verò summam DEI veracita-  
tem in dicendo. 2. Ipsa porrò Divina Revelatio,  
(loquendo strictè de objecto formali fidei) non in-  
greditur motivum formale, sed se habet tanquam  
conditio uniens, & applicans motivum formale ar-  
ticulo revelato, & intellectui credentis. 3. Similiter  
obscuritas rei revelatæ est conditio, necessaria tamen.  
4. Fides infusa componitur cum evidentia in atte-  
stante. 5. *Si volunt invenire quod Omnipotens non po-  
test, habent prorsus, ego dicam, mentiri non potest.*  
S. Aug. Lib. 22. de Civit. cap. 25. 6. néque uti restri-  
ctione mentali. 7. Sed habitum, aut actum erro-  
neum per se, & directè infundere potest, 8. Cum  
Veritas Christus dicat, *Ille vos docebit omnia, &  
suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Joan.  
14 15. 16. nil ab Ecclesia definitur de fide, quod jam  
antea à DEO revelatum non fuisset in scripturis  
sacris, aut per traditionem, aut alio modo.

## S. II.

### *De Habitu, & actu Fidei Divinæ.*

1. **H**Abitus Fidei inclinatur ad quasdam propositiones, quæ secundum se spectatæ sunt speculativæ, in hoc sensu non incongruè dicitur speculativus.
2. Consideratus ad alias propositiones pure practicas potest dici practicus.
3. Nihilominus fides Divina simpliciter est practica.
4. Hæc per quodcunque peccatum mortale non amittitur, bene vero per quodcunque peccatum mortale infidelitatis destruitur.
5. Datur quoque fides acquisita mysteriorum divinitus revelatorum.
6. Damnati spoliantur fide infusa.
7. Cui nequit subesse falsum.
8. Actus fidei Divinæ est certior quibuscunque actibus scientificis naturalibus geminata certitudine infallibilitatis, & adhesionis.
9. Visio immediata objecti repugnat cum fide actuali de eodem etiam de potentia DEI absoluta.
10. Conclusio Theologica quæ talis non est de fide.
11. Hinc fides non est formaliter discursiva.
12. Ad omnem actum fidei Divinæ requiritur voluntatis imperium.

## S. III.

### *De Necessitate Fidei Divinæ ad Salutem.*

1. **F**ides habitualis infusa post lapsum primi parentis est necessaria necessitate mediæ ad justificationem initialem, & finalem, & consequenter ad salutem



lutem. 2. Regula fidei alia est *inanimata*: *scriptura* videlicet, & *traditio* Ecclesiastica. 3. Alia *animata*: nempe *Ecclesia*, *Concilium* legitimè congregatum, *Summus Pontifex*, qualem verè esse *Clementem XI.* est *de fide*.

S. IV.

*De Spe Theologica.*

1. **O**bjectum materiale immediatum virtutis Theologicæ Spei est tum beatitudo formalis, tum objectiva, principalius tamen objectiva. 2. Et formale DEUS ut summum bonum amabile amore supernaturalis concupiscentiæ. 3. DEUS potest reprobo revelare damnationem suam, non tantum peccatori, sed etiam justo secundum præsentem justitiam de potentia absoluta, non verò Ordinaria, & regulariter. 4. Homo, cui facta esset revelatio certa, & absoluta suæ perditionis æternæ propter peccata jam commissa, & præterita, nequit rationabiliter sperare beatitudinem. 5. Quinimo licitè desperaret, seu nollet beatitudinem. 6. At si fieret revelatio homini de sua damnatione propter peccatum futurum, non obstante illâ posset adhuc sperare beatitudinem.

S. V.

*De Charitate Theologica.*

1. **O**bjectum materiale adæquatum charitatis est DEUS, & formale Bonitas DEI, quâ in se infinite

infinîtè bonus est, & perfectus secundùm omnem  
entis rationem. 2. Amor DEI gradualiter intensus  
laudabilis est, sed legem adimplet amor appreciati-  
vus. 3. Dilectio inimici pro omni statu *Naturæ*,  
*Scripto*, & *Gratiæ* vim legis obligatoriæ obtinuit.  
4. Amor Theologicus *Via* specie differt ab amore  
*Patriæ*.

PARALOGISMUS  
JURIDICO-CANONICUS  
DE

*Judice Rei in causa seu criminali, seu Civili  
secundùm allegata, & probata nocentis,  
re ipsa verò innocentis.*

Ex Lib. II.

DECRETALIUM.

*Tit.*

De Judicijs

**S**pecies facti. *Publius nobili genere progenitus  
capitalis Sæij hostis eo Tempore occiditur, quo Sæ-  
jus apud loci Judicem conviva aderat. Occisi con-  
sanguinei exinde Sæjum in Judicium vocant, euni-  
que secundùm allegata, & probata per telam judicia-  
riam homicidam demonstrant, urgentque Judicem ad  
ferendam*

*ferendam Capitalem sententiam. Tergiversatur Ille, quippe Sæij innocentis certò conscius, sed adversæ partis potentiam, suarúmque fortunarum dispendium extimescens.*

Quærit ex Canonista *Primò*. An tuta conscientia possit condemnare Sæium juridicè Reum?

*Secundò* An obligetur etiam cum dispendio sui officij abstinere à sententia?

*Tertiò*. Quid sibi Judici liceat in simili factò, sed civili, non criminali gravi?

Judicem in mente sua debere habere duplicem salem, *scientiæ*, ne sit insipidus; & *conscientiæ*, ne sit diabolicus, rectè censuit *Baldus* in l. 2. l. 15. cod. *de sentent.* Etenim Judicis tamquam bonj viri officium in ferenda sententia tria exigit: *primò* ut ferat sententiam secundùm leges, statuta, & laudabiles consuetudines, *secundò*, ut ferat sententiam non ex privata scientia, vel secundùm numerata, sed allegata, & probata, adeóque ex scientia publica, quam ex actis habet. *Tertiò*, ut ferat sententiam libello conformem, claram, & non obscuram. *Tex. & DD.* in l. p. *S. veritas. De Offic. Præsidi. Cblingensperg.* Instit. l. 4. t. 17.

Inde oritur præsentis casûs quæstio. Utrum Judex possit, aut teneatur condemnare Sæium ex allegatis, & probatis publicis juridicè homicidam

demonstratum; an verò sequendo propriam suam scientiam de Sæi innocentia abstinere â sententia.

Quâ in quæstione docet *S. Thomas*, quem ferè sequitur schola Thomistica, aliisque non pauci cum *P. Tanner. T. 3. d. 4. q. 4. d. 2. 51.* Judicem simpliciter debere pronuntiare secundùm allegata, & probata, atque condemnare, non obstante privata sua in contrarium scientia: cui sententiæ adhærent sat multi Juristæ apud, & cum *Julio Claro L. 5. q. 60. n. 2.*

Moventur *primò* regula regente judicium divinitùs lata *Deutro. 12. in ore duorum, aut trium testium peribit, qui occidetur: & Matth. 18. in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.*

Moventur *secundò*: quia can. *Judicet. 4. III. q. 7.* habet ibi: *bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis: sed juxta leges, & Jura pronuntiat, statutis Juris obtemperat: non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & mediatum domo defert. sed sicut audit, judicat. cui canoni consentit L. 6. §. veritas. ff. de offi. Præsid. ibi: & ideo Prætor Provinciæ id sequatur, quod convenit eum ex fide eorum, quæ probabuntur. Plura quòque huc congerunt ex SS. PP.*

Hinc moventur *tertiò* hoc fundamentali argumento. Judex, cum judicando publicam personam sustineat, debet procedere in judicando secundùm ea, quæ ipsi quâ *Judici*, non qua personæ privatae

con-

constant; & adeo quidem, ut *Cap. contingit. cap. dilectus. De fide instrument.* claris terminis statutū habeatur, quod non possit ferre sententiam ex aliquo instrumento in iudicio non producto, licet illud privatim viderit: atqui in præsentī casu secundū instrumenta juridica constat sæjum esse homicidam: ergo relictā suā privatā scientiā debet sic judicare. Et aliās ostium aperiretur innumeris fraudibus, & frustranea viderentur omnia Jura, atque inutilia, quæ pro bono publico tempus, locum, ordinem processūs, totiūsq̄e Judicij modum tam providè, & sollicitè præscripserunt.

Confirmatur ex *cap. Pastoralis. De Offi. & potesta. Delegati.* ibi. *quod cum Ordinarius tenetur obsequi delegato etsi sciat sententiā illam esse injustam, exi- qui nihilominus teneatur eandem:* ergo judicis privata scientia est impertinens, & inutilis, &c.

Secunda sententia est *Lyrani Zoesij. Pirbing. Lefsi- Bonaci.* d. 10. q. 2. p. 2. n. 2. & aliorum multorum. Hæc distinguit inter causas criminales, mortis pœnam secum ferentes (quibus addi debent, & communiter æqui parantur causæ matrimoniales propter periculum animæ) & inter causas civiles, aut criminales leviores, aliquam pecuniæ mulctam, honoris privationem, &c. trahentes. Negat in ijs posse Judicem proferre sententiam contra reum, quem certò privatim scit innocentem: eò quod innocentem di-

rectè occidere sit intrinsecè malum. Affirmat de posterioribus, cum lex majus dominium habeat in fortunas quàm in vitam. Videatur laymann.

Tertia sententia est *Coracij. Hottom. Besoldi Cblingensp.* lo. cit. aliorùmque, quos post *Covar. Var.* l. 1. c. 1. n. 8. sequitur *Robert. König* asserens, & Divino, & humano Juri esse consonum, ut Judex in quæstione facti non pronuntiet contra suam quamvis privatam concientiam: quæ sententia mihi præ reliquis arridet expendenti fundamentum, cui ininitur, perse loquendo. Nihilominus.

Respondo, & dico *primo*: cum secunda sententia, Judicem non posse tutâ conscientia in casu proposito condemnare sæjum. Ratio, qua (salua Doctori Angelico suâ reverentiâ) obviatur fundamentali argumento primæ sententiæ proposito, hæc est: quia Judex non tantum tenetur habere DEUM præ oculis in judicando, & illum non damnare, quem DEI tribunal, & consequenter conscientia reum non habet cap. 1. *de sentent. & re judic.* in 6. sed etiam tenetur judicare secundum ea, quæ in judicio allegantur, & probantur, quasi luce meridiana clarius, ita ut *Judici fidem faciant*, probare enim est fidem facere: & facit huc l. 6. §. *veritas. ff. de offic. Præsid.* Sed in præsentī casu non sic probantur: ergo. Major probatur: nam fides nulli alteri faciēda est quàm Judici: nam huic mandatum est

examen eorum, quæ allegantur; & ita quidem mandatum est, ut ex animi sui sententia æstimare eum oporteat, quod aut credat, aut parùm sibi probatum opinetur. *Text. in L. 3. ff. de Testibus.* & prout Religio suggerit, sententiam proferre *L. eum quem 79. §. 1. ff. de Judicijs.* & in quantum ipsi Judici fides fit *L. 6. §. 1. ff. de Offic. Judic.* sed impossibile est, ut illi fides fiat etiam ut Judici, qui certò scit oppositum: ergo. quare allegata quidem habentur, sed non probata quâ Judici: ergo nec quidem quâ Judex potest ferre sententiam.

Ratio secunda ex ipsis legibus. Quia ideo præcipiunt leges fieri processus, ordinem, & cognitionem causæ, ut veritas facti elucescat, maximè in bonis irrecuperabilibus, qualis est vita: sed evidenter jam scit Judex veritatem: ergo non potest allegatis assentiri, suamque sententiam conformare. Et cum veritas sit simplex, & indivisibilis, non benè dividitur conscientia Judicis in publicam, & privatam: nam sicut inferior subjacet superiori, & legibus, ita etiam Judex conscientiæ suæ, ac proinde contra hanc etiam ut Judex nequit agere; sicut nec privatus tenetur obedire contra conscientiam suam privatam. *cap. litteras. de restit. spol.*

Hinc confirmatur primò quamquàm v. g. Judex Ecclesiasticus pronuntiet, Bertham esse conjugem tuam; si tamen etiam privatâ tuâ scientiâ cer-

tò nosti impedimentum dirimens, non potes petere, aut reddere debitum.

*Secundò* quamquàm subditus, qui certò novit, bellum esse injustum, non potest militare, etiamsi Judex, aut Princeps exigat, id què ob rationem paulò ante assignatam: ergo etiam Judex, &c.

Respondeo ad *primum* ex nostro Amando Hermann p. 2. *Etb. Sac. d. 9. q. 5.* non esse mentem Domini DEI, ut toties quoties sunt duo testes, reus possit condemnari, alioquin nec Pontius Pilatus peccasset, dum ad duos testes, & multitudinem clamantium condemnavit Christum, quem sciebat per invidiam traditum; sed vult ad minus duos testes esse necessarios pro faciendo iudicio, & sententia, quando Judici non constat factum.

Ad *secundum* facilis est responsio, admittendo eos textus; sed negando, quod sint probata, id est, *fidem facientia* respectu Judicis, quippe qui certò novit esse calumnias. Præterea admittitur, secundum suum arbitrium, & voluntatem non debere iudicari à Judice, id est, ut absit omnis favor, & acta nitantur veritate, ut rectè *Less. l. 2. cap. 29. d. 10. n. 78.* quis enim credat, quod Judex quâ persona publica ideo fungatur officio, ut publicas falsitates quas tales novit, sequatur; inspicere proinde debet veritatem, sive ea publicè, sive privatim ei constet.



An *tertium* satis patet responsio ex dictis. Nec periculum est fraudis: quia præstat decem Reos absolvere, quàm vel unicum innocentem interficere; cum hoc sit intrinsecè malum contra præceptum Divinum, & naturale *Exodi* 23. v. 7. *Innocentem, & justum non occides*. Certè *Sufanna*, quamquam duorum testimonijs obruta pronuntiatur innocens *Daniel* cap. 3. Imo ex opposita sententia longè deteriora sequerentur: de quibus *Leff. cit.* Ad cap *Dilectus* respondetur, nullum instrumentum, quod seu privatum, seu publicum sit, attendi debere, nisi fidem faciat.

Ad Confirmationem: quæ nititur cap. *Pastoralis* communiter respondetur, Ordinarium tunc posse exequi sententiam delegati injustam, quando ordinarius non habet cognitionem causæ; quæ si adesset (addit *Glossa*) v. g. falsificatis litteris, &c. non posset dari talis sententia executioni nec ab Ordinario, nec à delegato.

Ex his sequitur: Canonistam respondere debere Judici, quod tuta conscientia non possit condemnare sæjum, quæ fuit prima quæstio causus propositi.

Ad secundam quæstionem Respons. *primò*. Judicem in tali casu debere tentare omnes vias ad eliberandum Sæjum, quales sunt: impedire accusationem, protrahere iudicium, aperire clam carcerem, testes secretò admonere per probos & doctos viros de falsitate actionis intentatæ: quod si his nihil proficiat, debet remittere causam ad superiorem iudicem, &, siquidem profuturum speret, deposito etiam tantisper Judicis officio, testem agere, sic communis etiam A. A. primæ sententiæ.

Respondeo *secundò* cum hac secunda sententia, si tentatis omnibus eliberandi Sæij medijs nihil proficeret (quamquam moraliter ferè sit impossibile) tenetur potius officij sui dispendium pati, quàm Sæjum condemnare: quia occideret innocentem, quod est intrinsecè malum, & repugnans Charitati, & Justitiæ naturali: neque enim calumniæ à Judice certò cognitæ possunt respectu Judicis innocentem facere nocentem. Nec verum est, quod (ut oppositi AA. autumant) tantùm indirectè occideret: nam sententia Judicis est vera moralis causa directè occisiva innocentis, & moraliter indistincta ab occisione ipsa reali.

Non tamen prætereo, quod ex *P. Filliuc.* insinuat *Dian.* p. 5. t. 14. R. 22 (quod si Judex tentatis in vanum supradictis medijs deberet cum notabili suo detrimento, & damno deponere officium Judicis (id quod fieret in præfenti casu propter potentiam nobilium consanguineorum occisi Publij) non teneretur illi officio renuntiare, si sequeretur sententiam oppositam ferè Thomistarum. At in opinione mea hoc minime procedit.

Tertia quæstio magis controversa est de actionibus civilibus

aut criminalibus levioribus : nam negativa mihi multum aridens nititur argumentis paulò ante insinuat. I. Quia etiam in his causis sunt tantum allegata, non autem probata Judici, neque enim huic, quippe certè scienti oppositum, possunt fidem facere, ergo secundum ea non potest pronuntiare. *Secundò* etiam in levioribus criminalibus Innocentem damnare v. g. ad pœnam pecuniariam, est intrinsecè malum : ergo neque hoc fas est Judici, una enim eademque conscientia premittitur Judex judicando sive de vita, sive de fortunis. Quæ argumenta adeo solida judicat *Covar var. l. 1. c. 1. n. 8.* ut putet impossibile esse, disparitatem dari inter causas criminales de vita, aut alias de pœna, aut purè civiles quæ sunt facti apud les. n. 20.

*Respondeo* tamen cum secunda, eà que teste *Diana* ferè communi sententiâ p. 11. tr. 7. R. 20. in causis paulò ante memoratis, quandò Judex certò scit Actorem falsis criminationibus, aut instrumentis niti, tenetur quidem omni industria curare, ut falsitas detegatur, vel processus impediatur, quod si tamen his nihil effecerit, potest ferre sententiâ secundum allegata, & probata publicè, non attentâ suâ privatâ scientiâ.

Ratio disparitatis est; quia Respublica, aut leges non habent quidem auctoritatem ad directè auferendum alicui vitam absquè delicto : tum quod bonum vitæ sit altioris ordinis irrecuperabile : tum quod dominium in vitam sit longè limitatius : fortunæ verò privatorum, aut leves cruciatus sint in eo bonorum genere, quæ recuperari recompensarique possunt, quorumque lex est Domina, quando ita exigit bonum commune, ut patet in præscriptione, aliisque centenis, ita ut ijs Jurèque suo quæsito etiam physicè innocens privari possit. sed hoc exigit bonum commune ex justa, & sufficiente causa, nimirum ne Judiciorum forma (à qua pendet pax, & salus Reipublicæ) tam facilè, ac tanto cum scandalo contemnatur, & pervertatur; id quod sæpius in frequentia causarum civilium, & leviorum criminalium accideret. Videatur Pirhing.

Hinc Respondetur ad *primum* oppositæ sententiæ, quod quamquam probata talia fidem non faciant Judici, hic tamen ob fundamentum dictum auctoritate sibi à legibus, & Republica concessa fungi possit in judicando, quippe cum *nomine* Reipublicæ disponit de bonis privati subiectis *alio* dominio Reipublicæ.

Ad *secundum* dico, talem ex innocente fieri *juridice* Reum, idest in foro externo cogi ad obediendum legibus, & Reipublicæ, sic exigente bono communi, uti fit in pluribus casibus. Cæterum patet illi via recuperandi bona sua, quibus per sententiâ de se certò injustam privatus est, vel appellando ad superiorem Judicem, vel per restitutionem in integrum, &c. imò etiam per occultam compensationem in talibus circumstantijs haud illicitam.





